



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

Cap. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

24. *Omnis qui audit verba mea & facit ea, assimila-  
bitur viro sapienti, qui edificauit domum suam  
supra firmam petram.*

Q Vum hæc etiam verba ad pietatis studium ac diuinæ legis obseruantiam penitus necessariam perspicuè faciunt, & non tantum credere (quod hic Christus vocat *audire*, utique non aures corporis, sed aures cordis) sed & *facere* doceant, Calvinus totum ad vnicam fidem trahit. Sic enim hæc verba exponit. *Perinde est ac si dixisset veram demum esse fidem, quæ profundas habet radices in corde, & serio constantique affectu quasi fundamento nititur ut temptationibus non cedat.* Hæc ille. Qui Caluini portentosam doctrinam, *de unica piorum fide*, quam semel acceptam amitti non posse sustinet, & de eius radicibus planè immotis legerit, facile intelligit Caluinum hoc loco per firmam petram, super quam fundata domus nullis temptationibus deiicitur, nihil aliud intelligere, quàm *specialem suam fidem electis propriam*, quam nullis difficultatibus temptationibus vicumque sæpius agitatam conuelli, aut loco moueri posse præsumit. Christus autem ut in præcedenti sermone, sic in ista similitudine, (quam idcirco subiunxit, ut præcedentem doctrinam magis illustraret) per eum qui audit, credentem; per eum qui facit, mandata Dei custodientem sic intelligit, ut qui vtrumque hoc facit, eum demum super firmam petram suam domum ædificare doceat; id est, firmum atque immobile salutis ac status sui fundamentum habere, quod nullæ temptationes deiiciant. *Ædificari ergo supra firmam petram, non est solam fidem radicibus tenere*, (hanc enim habet qui audit Christi verba & non facit ea) sed est fidem habere *in charitate radicatam & fundatam*, vel *quæ per dilectionem operatur*, ut Apostolus discretè docuit. Hæc contra corruptelas hæreticas rectè intelligenda & diligenter tenenda sunt.

*Operum bonorum necessitas.*

*Institutum. li. 3. cap. 2. num. 9. & seqq.*

*Ephes. 3. 17. Gal. 5. 6.*

## IN MATTHÆI CAP. VIII.

2. *Domine, si vis, potes me mundare.*

V Vm hæc verba cōtra certitudinē fidei de præsentī salute & futura gloria, quam omnibus suis & precibus & actionibus adesse voluit Calvinista, manifestè faciant (hic enim leprosus sine vlla tali certitudine, imo dubitanter loquens quoad Christi voluntatē erga se in particulari, mundatur tamen à Christo, & optatam

*Certitudo Calviniana refellit.*



sanitatem consequitur) aduersus hoc argumentum sic cauillatur Calvinus. *Quod sub conditione loquitur hic leprosus, Domine, si vis, non pugnat cum ea fidei certitudine quam Deus in precibus nostris exigit. Neque enim plus sperare debet homines quam Deus promittat. Leprosus autem nullo Dei oraculo vel promissione certior factus erat quidnam facturus erat Christus. Hæc ille, cui vno verbo responde, nec ipsos Calvinistas aut vltos fideles vlllo Dei oraculo vel promissione certiores factos esse, quidnam illis in particulari facturus sit Christus. Leprosus iste non dubitauit in genere de Christi bonitate, magis quam de potentia, (alioqui Christum non rogasset) sed quia in particulari nullam promissionem acceperat, sicuti nec alius quispian in verbo Dei accepit, propterea propter suam indignitatem merito dicit, & nos omnes dicere debemus, Domine, si vis: certitudine illa Calviniana, tanquam impia præsumptione, proflus reiecta.*

4. *Vade, ostende te sacerdoti.*

**A**Rroganter hoc loco contra Catholicos insurgit Calvinus his verbis. *Christus mittens leprosum ad sacerdotem, ritus in lege prescriptos usque ad tempus abrogationis seruare iubet. Quod hinc confessionis suæ legem eliciunt Papista, in eo nomine sunt insulsi. Leporam allegoricè volunt esse peccatum: Sacrificos autem quos Papa inaugurat, spiritualis lepra esse cognitores. Videmus in lege sacerdotibus hanc potestatem ideo datam esse ut sciret populus totam suam munditiam eiusque iudicium pendere à sacerdote, impiè tamen hoc ad se rapiunt sacrifici Papales. Quicquid enim honoris datum erat antiquis sacerdotibus, nunc unus Christus sibi vendicat. Hæc ille. Sed quicquid homo impius contra præsentis Catholicos deblaterat, hoc totum indoctissimos & antiquissimos Patres redundat; quos huic hæretico merito opponemus. S. Chrysostomus ita scribit. Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudeorum sacerdotibus solis licebat. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Hæc ille. Vide Bedam libro quinto cap. 68. in Luc. Calvinus à & Augustinus 99. Euangel. libro 2. quæst. 40. Vnica ratio quam adfert Calvinus, ex ipso Caluino refellitur. Si enim quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, unus Christi*

*Papistarū nomine antiquissimos Patres Caluini taxat.*

*Sacerdotes peccata purgant. De sacerdotibus libro 3.*

*Caluinus à & Augustinus 99. Euangel. libro 2. quæst. 40.*



Christus sibi vindicat, & tamen illis hanc potestatem datam fuisse Calvinus agnoscit, ut sciret populus totam suam munditiam eiusque iudicium pendere à sacerdotio: profectò fallum erit quod postea hoc loco Calvinus subiungit, & omnes hodie hæreticorum scholæ sustinent, ex Christi mandato suam peccatoribus munditiam pronuciare Evangelij ministros. Iam enim inuenit ipse Calvinus, non vnum Christum sibi vindicare quicquid honoris antiquis sacerdotibus datum erat, sed omnes Evangelij sui ministros hoc honore, idque ex Christi mandato, gaudere, quòd suam peccatoribus munditiam pronunciant: qui sanè honor antiquis sacerdotibus in figura tantum datus erat, circa lepræ munditiam pronuncian- dam. Cæterum non vnum Christum omnem sacerdotalem honorem sibi vindicare, sed pro sua dignatione & perpetua Ecclesie suæ conseruatione, sacerdotibus Euangelicis magna ex parte impartisse, tota SS. Patrum antiquitas contra impiù Calvinum docet. Vide illorum verba in Promptuar. Cath. in dom. in Albis. Vnus Chryf. apertissimè loquitur. Pater (in- Libr. 3. de sacerdotio, lio sacerdotibus traditum. Hæc ille.

26. Ut quid timidi estis modicæ fidei?

Observatione dignum est hoc loco, agnoscere necessariò Calvinum quemlibet timorem non esse fidei contrarium, & fidei defectum non quolibet timore coargui, sed ea formidine quæ conscientia pacem turbat, ut non recumbat in Dei promissiones. Hæc enim confessio certitudinem fidei, quam perpetuò docet, adeo refellit, ut propterea in Institutione sua, ubi totam hanc doctrinam accuratius pertractat, certitudinem quam ponit omni timore vacuum ab omni trepidatione & dubitatione liberam statuatur, lib. 3. cap. 2. Quem etiam in finem Scripturas omnes quæ ad timorem nos hortantur, egregiè deprauat, & nihil aliud quàm reuerentiam filialem nos docere disputat. Vide opus nostrum de Iustificat. lib. 8. cap. 26. & 27. Sanè idem Calvinus sibi cõtrarius infra de muliere, quæ fluxum patiebatur. Quia videns quòd non latuit, venit tremens, & cecidit ad pedes Iesu; dicit Calvinus, quòd talis trepidatio fidei contraria fuit, & excusatione carebat. Sic tractat Scripturas Calvinus, non ex sacra veritate quam illæ tradunt, sed prout ipsi & causæ præsentis commodum est.

Certitudo  
fidei Cal-  
uiniana  
refellitur

Ad Luc.  
cap. 8.  
vers. 47.